



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De magistro Ioanne, cui infirmanti sanctus Martinus & sanctus
Godehardus succurrerunt, cap. 77.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

superius cibatum gloriatur in pane pauperis pastoris. CÆSARIUS: Quis major Christo, qui in iudicio dicturus est: Esuriui, & dedistis mihi manducare? Nullus: quantum verò Christo eiusque beatis confessoribus eleemosyna placeat, vel quam valenter his, qui faciunt illam, in periculis succurrat, ex sequenti visione demonstrabitur.

CAPVT LXXVII.

Magister Ioannes Decanus Aquensis, cum scholaris esset, tam grauius tempore quodam infirmatus est, vt confessus, & inunctus, nihil ei nisi mors superesse videretur. Cui cum materia rapta esset in cerebrum, solus jacens, in excessum venit, viditque homines sibi ignotos intrare, qui lances, quas manibus portabant, cum lignis breuibus & quadratis ante ipsum ponebant. Stantibus eis ex vna parte lectuli, contemplatus est introire tres inclytos confessores, sanctum videlicet Martinum Turonensem, & sanctum Godehardum Episcopum Hildesheimensem, & beatumque Berwardum, qui eum ex parte altera circumsteterunt, in quorum aspectu puer Ioannes vni imponitur lanci, & ligna loco ponderis alteri: cumque eleuata statera inuētus esset eger min⁹ habēs, prædicti confessores, puerum paruulum & mendicum sinui eius imposuerunt, qui simul lancem aduersam mox suspendentes, lignis grauiora apparuerunt: statimque Ioannes, qui mihi visionem hanc retulit, in sudorem erumpens, crisim fecit, & de eadem infirmitate citius conualuit. APOLLONIVS: Quid scholaris ægrotantis ponderatio, vel quid pueri pauperis significet adiectio penitus ignoro. CÆSARIUS: Puer idem valde pauper erat, & despectus, cuius in tantum miseratus est Ioannes, vt ei & panem frequenter daret, & matri commendaret; homines barbaros, qui eum in lance appendebant, dæmones fuisse suspicor, qui semper morietibus se ingerunt; ligna, pueri peccata, quæ quia meritis eius grauiora videbantur, sancti confessores, quos sæpius interpellauerat, eleemosynariū eius lanci immiserunt, cuius beneficio adiutus est.

Quod

Quòd verò vita humana quãdoque propter eleemofynas morti subtrahatur, habes exemplum in vita sancti Ioannis Eleëmonis, de Petro telonario, penè in consimili casu & visione. Hinc est quòd Nabuchodonosor regi, cùm se in visione vidisset sub figura arboris ab angelo esse præcidendum, Daniel consuluit, vt peccata eleemosynis redimeret. Quòd verò ob peccata etiam ante tempus quãdoque vita hominis præcidatur, idem Daniel testis est. Cùm Balthasar, prædicti regis filius, cum vxoribus & concubinis in vasis templi Domini conuiuando Deum irritaret, vidit contra se articulos manus scribentis in pariete, tria hæc verba, Mane, Thecel, Phares: quam scripturã sic Daniel regi interpretatus est: Mane, id est, ante tempus dinumerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud. Thecel, appensus est in statera, & inuētus es minus habēs, scilicet de iustitia. Phares, & quia peccata præponderauerūt, eadem nocte occisus est, & diuisum est regnũ eius Medis & Persis. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CAESARIVS: Tres præfati pontifices, aliorum trium Episcoporum visionem mihi ad memoriam reuocant relatu dignam.

CAPVT LXXVIII.

BOnæ memoriæ Gerardus Abbas Claraualis, qui nostris temporibus fuit, cùm tempore quodam visitandi gratia pergeret ad Claustrum, & apud religiosos fratres sancti Matthiæ hospicaretur, eadem nocte, dictis matutinis, ecclesiæ cryptam solus intrauit, & ad sepulchra sanctorum Eucharij, Valerij, atque Materni, qui Treuerorum primi erant Episcopi, & nostrarum regionum Apostoli, deuotè satis orauit: maximè tamē petiuit sibi reuelari diuinitus, vtrũ magis expediret in officio Abbatia manere, vel illam resignare. Cui gloriosi illi tres præfules in multo splendore simul apparentes, dixerunt: Frater, nequaquam officium tuum resignes, quia in breui cum palma martyrij ad nos peruenies: sicque disparuerunt. Mane cùm esset profecturus, præpositus sancti Simeonis eum, vt secum in reditu hospitari dignaretur rogauit, quod

Dan. 4.

Dan. 5.